

## Catullus 13

Cēnābis bene, mī Fabulle, apud mē	1
paucīs, sī tibi dī favent, diēbus,	2
sī tēcum attuleris bonam atque magnam	3
cēnam, nōn sine candidā puellā	4
et vīnō et sale et omnibus cachinnīs.	5
Haec sī, inquam, attuleris, venuste noster,	6
cēnābis bene: nam tuī Catullī	7
plēnus sacculus est arāneārum.	8
Sed contrā accipiēs merōs amōrēs	9
seu quid suāvius ēlegantiusvest:	10
nam unguentum dabo, quod meae puellae	11
dōnārunt Venerēs Cupīdinēsque,	12
quod tū cum olfaciēs, deōs rogābis,	13
tōtum ut tē faciant, Fabulle, nāsum.	14